DE POTESTATE PRINCIPIS.

Aphorismi.

1

QUEMADMODUM *divina providentia res omnes alias non communi tantum procuratione, sed suis etiam certis quibusdam legibus naturæ cuiq; penitus infixis, sustentat regit & tuetur: sic conseruando generi humano, aptum & conuenientem ordinem constituit, quo tum Religio & pietas in* DEUM: *tum inter homines societas continetur.*

2 HUJUS *ordinis ministri custodes & conseruatores sunt, Imperatores, Reges, Principes* ὃς πάντες ἐν ὑπεροχῇ *qui virtute potestatis, & Imperij auctoritate, non modo tranquillam & quietam vitam præstare suis subditis tenentur: sed prudenter etiam cauere ne vitam hanc in hara transigant porci velut Epicuri; verum ut in honestate & omni pietate degant, ut decet homines qui diuinæ rationis, & immortalitatis sunt participes.*

3 HONESTAS *seu* σεμνότης *est non tantum sua cuiq; congrua, & virtuti consentanea viuendi ratio: sed huma-*

næ etiam societatis & communitatis hominum inter se aptæ convenientia & gravis con decent ia.

4 SOCIETATEM hanc conciliat natura, primum maris et fœminæ conjugio, unde propagatio generis humani. deinde rationis & orationis usu, unde nata inter homines commercia, scientiæ & artes omnes, tum liberales tum mechanicæ, quibus tanquam adamantinis catenæ vere aureæ cujusdam annulis, homines cum hominibus arctissime colligantur.

5 HARUM rerum etsi nec inventio, nec traditio, nec exercitium ad Magistratum pertinent: sed ad eas homines partim facti sunt & nati, partim singulari quadam & divina gratia imbuti, partim a sapientibus & peritis artificibus instructi: de illarum tamen usu ad Reipubl. utilitatem, & ad præclaram illam communitatis humanæ συμφότηλα conservandam leges condere, ad jus imperij & Magistratus potestatem spectat.

6 PIETATIS & Religionis (cujus vinculo homines cum DEO & inter se firmissime devinciuntur) instituendæ & præscribendæ auctoritas, ejusq; omnis administrandæ ratio, & ministrorum ordinatio, divina prorsus & cœlestis est, & ad Christi Domini super domo DEI, imperium & potestatem solum pertinet.

DE pietate tamen & Religione a DEO tradita stabilienda & conservanda: collapsa restauranda: corrupta perpurganda: & de ministris ejus alendis protegendis, & si cubi enormes sunt in ordinem etiam cogendis: deniq; de omnibus εὐτυχῆ ὁρᾶς καὶ κατὰ τάξιν in diuino cultu peragendis: leges constituere & judicia exercere Reges & Magistratus possunt & ex officio tenentur: ut omnia ad DEI gloriam & populi salutem referantur.

7 VERUM in his omnibus gerendis divinam voluntatem certo exploratam habere: ad eamq; leges de Religione, & legum

& legum executiones & actiones suas omnes dirigere & formare debent.

9 ETSI ad hæc omnia præstanda circa pietatem & Religionem Reges & Magistratus ethnici potestatem olim habuerunt, & etiam nunc habent: hanc tamen diuinæ voluntatis certa cognitione destituti exercere rite non poterant, nec temere debebant, ideoq; arbitratu suo nunquam ea usi sunt, sine sacrilegio, Idololatria, & detestanda superstitione.

10 CHRISTIANIS Magistratibus Christianismus juris novi nihil tribuit, hujus tamen beneficio potestatis ejus, quam jure obtinent, usum legitimum & exercitium circa divinum cultum habent, aut habere saltem possunt & debent, quatenus scilicet per Euangelium ejusq; ministerium voluntatem DEI in omnibus quæ ad Religionem spectant plene planeq; patefactam habent.

11 AD potestatis hujus exercitium legitimum non solum pertinet, jurisdictionem illam & disciplinam, quam in Ecclesia Christus instituit in suo nomine, per Ministros suos exercendam; auctoritate legum & imperij confirmare, stabilire & munire: verum præterea ad doctrinæ puritatem, Ecclesiæ sanctitatem & salutem, honorem DEI & gloriam tuendam contra flagitia, hæreses, & scandala: ad ejusdem potestatis usum spectat, leges ferre, quibus temporales quoq; pœnæ decernantur, Judicia constituantur, & Judices ad causas has idonei præficiantur qui Magistratuum ipsorum nomine jus dicant.

12 EX his manifestum est causas & personas omnes Christianis Magistratibus, vel ut gubernatoribus; vel ut Judicibus subjectas esse. ut gubernatoribus, quatenus sacra de his Judicia quæ in Christi nomine procedunt, auctoritate Magistratuum christianorum (quorum tutelæ sunt commissa) con-

firman

firmantur stabiliuntur & muniuntur: ut Judicibus vero quatenus super eisdem causis & personis Magistratuum ipsorum nomine Judicia ab ipsis constituta, per Ministros suos exercentur.

13 HINC patet etiam, quod Christianus Magistratus potestatem habeat in sua ditione ecclesiastica concilia indicendi, cogendi, & in eis præsidendi; non ut Episcopus & Judex internorum. Christus enim in cujus nomine habentur hæc comitia Judex internorum solus est; nec ut vicarius aut minister aliquis ad hoc a Christo delegatus & subordinatus: sed ut summus gubernator, a mundi maximo gubernatore DEO ad dignitatis amplioris longe & augustioris fastigium evectus, quam est ministerium ecclesiasticum aut quodcunque munus pastorale, ad ordinis illius scilicet diuinæ providentiæ conseruationem, qui tum humanam πολιτείαν ad societatis humanæ σεμνότητα tum divinam etiam ad pietatem pertinentem, ambitu suo comprehendit.

14 DENIQUE corruptam Religionem perpurgare, collapsam restaurare postquam diuinam voluntatem plene compertam habet, aut per Ecclesiastica comitia ad hoc legitime coacta ad exemplum Constantini: aut per Regni universi comitia ad exemplum Josiæ, aut si propter temporum corruptelam tum in Ecclesia tum in Republ. prævalentem, ut in regno Israelis post Achabi tempora, & in papismo nostris his temporibus per ordinaria hæc media nihil profecerit; tum christianus Magistratus armata vi cultum Idololatricum & superstitiosum delere funditus & extirpare, & verum restaurare potest & debet, ad exemplum Jerubaelis, Jehu & Josiæ.

15 ETSI christianus Magistratus tum beneficiorum in baptismo perceptorum ratione; tum fidei & obedientiæ christiane

stianæ solemni stipulatione, in omnibus ad pietatem pertinentibus spirituali regno Christi, ejusq; ministerio subjectus sit: potestas tamen ejus haud subordinata est huic Christi regno aut ministerio regni hujꝰ qualicũq; aut ministris quibuscunq;.

16 NAM *qui subordinatam habet potestatem minister est superioris potestatis cui subordinatur: christianus autem magistratus qua Rex & imperator est imperij terreni, vel Regni quod est ex hoc mundo; minister ejus regni nequit esse, quod ex hoc mundo non est, regni scilicet spiritualis Christi, cujus omne ministerium est spirituale: Itaq; christianus magistratus, qua christianus unus est de grege, qua magistratus gubernator gregis.*

17 QUOD *autem attinet ad Jusjurandum quo se obstringũt quidam Magistratus cum regnum ineunt, ad religionem christianam defendendam & ad obedientiam & fidelitatem Papæ & ecclesiæ præstandã, id per partes est considerandum.*

18 PRIMUM *Religionem conservare & tueri qua Magistratus sunt a* DEO *constituti; deinde qua sunt Christiani Eccleſiæ parere debent: pars reliqua ad Papam pertinens agnoscit Papæ, supra omnem appellatum deum aut augustum, exaltationem: ad hanc ideo præstandam non obligantur, sed ad seriam resipiscentiam, propter Jusjurandum in* DEUM *impium, & ipsis ignominiosum, quibus Deus hoc σέβασμα vel veneration tribuit, ut dij & filij excelsi vocarentur.*

19 DENIQUE *si magistratus a Religione christiana defecerit & fidem abnegauerit, tum regni Christi priuilegiis & beneficiis privatur omnibus. Imperium tamen & potestatem suam non amittit, quæ nec ab illo auferre, nec in alium transferre quisquam potest, nec subditos a debita obedientia & subjectionis nexu solvere.*

20 HIC *tamen admonendi sunt apostatæ, quod christus duplex habet regnum, unum acquisitum obedientiæ & mor-*

tis

tis merito quod regnum gratiæ & ſpirituale a nobis ſupranominatur: Alterum ipſi communicatum a patre ante ſæcula, quod regnum eſt potentiæ & providentiæ communis, in cujus etiam communionem poſt reſurrectionem aſcita jam humanitate, Chriſtus Jure Rex eſt Regum & dominus dominãtium omnemq; ſibi poteſtatem ſubordinatam habet & ſubjectam.

Nunc ergo Reges animadvertite, erudimini Judices terræ, colite Jehovam cum reverentia, & exultate cum tremore, oſculamini filium, ut non iraſcatur & pereatis in via, ſi exarſerit vel minimum ira ejus, *Beati omnes qui ſe recipiunt ad eum.*

EDINBVRGI,
Excudebat THOMAS FINLASON, Auguſtiſs. Regiæ Majt. Typographus. 1617.

MVSEVM BRITAN NICVM

U90 + 32

10 D 26.

A

TRVE NARRATION OF ALL THE PASSAGES OF THE PROCEEDINGS IN the generall Assembly of the Church of SCOTLAND,

Holden at PERTH *the* 25. *of August*, *Anno Dom.* 1618.

Wherein is set downe the Copy of his MAIESTIES Letters to the said ASSEMBLY:

Together with a iust defence of the Articles therein concluded, against a seditious Pamphlet.

K. Lindsay

By Dr. LYNDESAY, *Bishop of Brechen.*

PROV. 24. 21.

My Sonne, feare thou the Lord, and the King, and meddle not with them that are seditious.

IOHN MORRIS.

LONDON
Printed by *William Stansby* for *Ralph Rounthwait*, dwelling at the signe of the golden Lyon in *Pauls* Church-yard.

1621.